

atque excogitatio dicitur? ex hac ne tibi terrena, mortalique natura et caduca, concreta ea videtur? Quid? qui primus, quod summae sapientiæ Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina? aut qui dissipatos homines congregavit, et ad societatem vitæ convocavit? aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit? aut qui errantium stellarum cursus, progressiones, institutiones notavit? Omnes magni: etiam superiores, qui fruges, qui vestitum, qui tecta, qui cultum vitæ, qui praesidia contra feras invenerunt: a quibus mansuefacti et exculi, a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam et auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata varietate, et natura sonorum; et astra suspeximus, tum ea, quæ infixæ certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia. Quorum conversiones omnesque motus qui primus vidit, is docuit, similem animum suum ejus esse, qui ea fabricatus esset in coelo. Nam quum Archimedes lunæ, solis, quinque errantium motus in sphaeram illigavit, effecit idem, quod ille, qui in Timæo mundum aedificavit Platonis deus, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio. Quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest, ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari. Mihi vero ne hæc quidem notiora et illustriora carere vi divina videntur, ut ego aut poëtam grave plenumque carmen sine coelesti aliquo mentis instinctu putem fundere, aut eloquentiam sine quadam vi majore fluere, abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum? Hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudit: eademque ab animo, tamquam ab oculis, caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. Prorsus hæc divina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat